



- N. 11. Est bona praesentatio.
- N. 12. Hic numerus nimis verbosus est; praesertim par. 2 et 3 nimis homileticae sunt.
- N. 13. Etiam fere nil ad argumentum confert: vel abbreviatur vel omitatur.
- N. 14. Bene praesentatur.

23

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYŁA
Archiepiscopus Cracoviensis

N. 1, p. 3, lin. 14. Ubi dictum est « *Libertas religiosa communiter hodie intellegitur esse verum ius, in dignitate humana fundatum...* », dicatur potius « ... *dignitatem personae humanae respiciens* ». *Ratio* autem est, quia dignitas humana non est ipsum fundamentum libertatis religiosae, potius rationalitas naturae humanae (similiter etiam p. 6 in fine).

N. 3, p. 6, lin. 8. Post verba « *quid de hodierno libertatis religiosae regimine sentiat* », talis proponitur mutatio in ordine textus: « *Prima affirmat et docet, iuxta constantem Ecclesiae doctrinam, unam religionem veram esse, quam Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi per Filium suum incarnatum revelavit atque Ecclesiae custodiendam et omnibus hominibus evangelizandam tradidit; homines vero gravi teneri officio veritatem in re religiosa inquirendi et cognitam sectandi, liberum autem non esse unicuique homini quam quisque maluerit sequi in vita religiosa sententiam.* Simul tamen declarat haec Sacra Synodus, hanc catholicam de unica vera religione doctrinam nullatenus adversari libertati humanae; non enim obstat libero personae humanae arbitrio necessitas sequendi veritatem cognitam. Immo, in hoc monstratur vera eiusdem personae dignitas, quae doctrinae evangelicae intime correspondet, simul autem ex ipso rationis fonte depromitur. Cum proinde Ecclesiae incumbat munus... » etc. (ut in textu).

N. 3, p. 6, linn. 40-41. Verba « *omnesque communitates religiosae* » omittantur. *Ratio*: assertio sumi posset eo sensu ut omnes communitates religiosae, verae et falsae, haberent eadem *iura*, quod Ecclesia merito damnavit, ut dictum manet in animadv. generali 2.

N. 3, p. 6, lin. 42. Post ultima huius numeri verba addatur: « *Nec contradicere laudanda agnitioni verae religionis ex parte Status* ». *Ratio*: exposta in animadv. generali 1.

N. 4, p. 7, linn. 8-9 (sub *a*). Loco « *Hoc modo violaretur ipsa integritas personae* » melius dicatur: « *Hoc modo violaretur summum ius personae ipsa graviter offenderetur* ».

P. 7, lin. 19 (sub *b*). Loco « *libera scil. inquisitione* » ponatur « *libera scil. decisione* », quia ex contextu patet de effectu inquisitionis iam agi.

P. 8 (sub d). Res tali modo proponitur ac si quilibet homo habeat conscientiam certam et veram in re religiosa. Multi tamen habent conscientiam dubiam de hac re, multi etiam invincibiliter erroneam. Potestas publica, de qua in capite « *Moderatio Civitatis* » fit sermo « de interioribus actibus religiosis nequit iudicare ». Unde oritur principium tolerantiae. Tolerantiae tamen principiis non contradicit nostra sollicitudo, ut alii in conscientiae suae secundum verum bonum morale formatione adiuventur. In casu conscientiae erroneae, etiam invincibiliter, respectus personae possibilitatem non excludit persuadendi ei de veritate argumentis eam probantibus. Excluditur tamen pressio physica mediata vel immediata atque coactio physica vel sociologica. Haec omnia principio responsabilitatis erga alios, de quo in n. 5, p. 9, forsitan componenda sunt.

N. 5, p. 9, in capite b) « *De norma iuridica* » nonnulla inveniuntur, *quae atheistis militantibus interpretationem anti-religiosam facilem reddant*. Faciliter ergo omnem actionem anti-religiosam tanquam exercitium iuris societatis civilis « sese protegendi contra abusus qui perpetrantur adducto titulo libertatis religiosae » considerari possunt.

Mutantur ergo verba praedicta. Praesertim autem supprimantur ultima in hoc capite: « ... sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem civium aliorum » (linn. 34-35).

Nec haec verba instrumentum persecutionis Ecclesiae vel saltem limitationis eius cultus externi in manibus atheistarum fiant. Ipsi enim saepe proclamat omnem religiosam manifestationem nocivam esse bono communi, et sic decretum de libertate religiosa faciliter intellegere possunt in sensu libertatis impugnandi religionem.

N. 7, p. 11, linn. 32-33. Supprimantur verba: « ... praesertim quando de pueris vel rudioribus agitur »; propter eandem rationem ne scil. tanquam argumentum contra opus catechesis assumere possint.

N. 12, p. 14, linn. 28-31. Argumentum, quod scil. Christus « consulto prodigia illa perpetrare iterum iterumque renuit, quibus homines ad assentiendum quodammodo cogerentur » non valet, quia Christus haec miracula patrare recusavit propter malam voluntatem Iudeorum, non autem ideo quasi per repetitionem miraculorum libertas eorum religiosa diminui posset.